I. N. D. N. J. C.

DISSERTATIO

HISTORICO THEOLOGICA

De

SARACENORUM INITIATIONE

ex fragmento

Libri XX. Theſauri Nicetæ

Quod extat

Tom V. Bibliothecæ Patrum.

DEO ANNUENTE,

Defendetur in SOLENNI auditorio

Sub Præſidio.

DN. BALTASARI BEBELII,

SS. Theol. D. & P. P. Extraord.

Eccleſiaſtæ.

à

M. JOH. MATTHÆO Strauß/

Argent.

Die Menſis

ARGENTORATI,

Literis JOHANNIS PASTORII,

ANNO M. DC. LXIV.

SERENISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI DOMINI

FRIDERICI,

MARCHIONIS BADENSIS ET HOCHBERGENSIS, LANDGRAVII SUSENBERGENSIS, COMITIS IN SPONHEIM ET EBERSTEIN, DOMINI LOHRÆ, BADEVILLÆ, ET MAHLBERGÆ.

CONSILIARIIS GRAVISSIMIS, ET CONSISTORII ECCLESIASTICI ASSESSORIBUS.

VIRIS NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, VENERANDIS, CONSULTISSIMIS, PERQVAM REVERENDIS, EXCELLENTISSIMIS.

DN. FELICI LINSEMANNO, U. J. D. & Conſiſtorii Eccleſiaſtici Directori.

DN. JOH. FRIDERICO HEILBRUNNERO, SS. Theol. D. & utriusque Marchionatus Superint. Generaliſ.

DN. JOH. FRIDER. BOCHIO, Secretario Confeſſ. Super. Aul.

DN. CHRISTIANO KECKIO, Secretario SER. PRINCIPIS, ab intimis.

DN. HENRICO THOMÆ, Templi Aulici Diacono.

DOMINIS FAUTORIBUS, PATRONIS, PROMOTORIBUS.

Hoc SOLENNE Exerc. Acad. dedicat & offert.

M. Joh. Matthæus Strauß/
Argent. Reſp.

I. N. D. J. C.

De Initiatione Saracenorum.

Proœmium.

§.

CUM nuper incidiſſem in Bibliothecam Patrum, occurrit Tom. V. edit: Pariſ. an. 1575. tractatus ultimus, cuius hæc erat inſcriptio: *D. Nicetæ de ordine, qui tunc obſervatur, cum quis à Saraceniſmo ad noſtram h. e. Chriſtianorum fidem, puram quidem illam ac veram transfugit, ex libro theſauri orthodoxiæ fragmentum.* Arriſit materia, cum perlegerem, & operæ pretium putabam uberius cæremonias iſtas ex antiquitate illuſtrare: exiſtimans non ingratum fore ſtudioſis antiquitatis, hodiè præſertim, ubi Turcæ Saracenorum poſteri noſtræ Germaniæ imminent, & ſint, qui putent regno iſti exitium nunc temporis imminere; Certè Philippus Nicolai de regno Chriſti lib. 2. c. 3. ſcribit: Hie iſt gute hoffnung zuſchöpffen/ daß wann das jahr Chriſti 1663. herbey kommet/ das Evangelium mit geſchwindem lauff durch alle Königreiche der Gogiten (Türcken) lauffen vnd gehen werde. D. Michael Havemannus Superintendens General. Ducatuum Bremæ & Verdæ in ſeiner Indiſchen Wegleuchte t. 587. addit: Ich vermuthe ſchier ob Gott mit orient, oder de-

nen Oſt-

nen Oſtlanden annoch ſonderliches wolle fürnehmen: &c. Quæ duo teſtimonia allegat Illuſtris & Generoſiſſimus Erneſtus Juſtinianus à Welz L.B. in ſeinem wolgemeinten vorſchlag &c. quem nuper ad me, additis literis, Ratiſpona miſit; Quemque audio Zelo convertendorum Muhammedanorum & infideliũ aliorum permotum Ambſtelodami cum aliquot ſibi adjũctis ſtudioſis, concepto prius voto, navem conſcendiſſe orientem viſurum; Faxit Deus, quod Eccleſiæ Chriſtianæ poſt gloriam ſui nominis proficuum videtur. Interea diſcamus ritus, quibus olim Saracenos ad Chriſtum ſeſe applicantes Chriſtiani initiarunt.

PARAG. I.

A*Uctor*, qui ceremonias initiationis deſcripſit, eſt Nicetas cognomento Choniates, quod nominis accepiſſe videtur ex Niceta Chonarum Epiſcopo, viro inſigni virtute & dono prophetico prædito, à quo ex baptiſmate ſuſceptus eſt, ut ipſe meminit Annal. f. 27. Diſtinguitur à Niceta Byzantino philoſopho, qui *librum ſcripſit contra Moammedum: Expoſitionem confirmativam, cum demonſtratione Chriſtiani dogmatis, ex communibus prænotionibus & dialectica methodo, & naturalibus argumentis, ac Syllogiſtico artificio producta: item contradictionem epiſtolæ ab Agarenis miſſæ ad Michaelem Imperatorem Theophylacti filium, quæ Chriſtianorum fidem calumniatur*: quos tractatus ex *Bibliotheca Vaticana* citat Geſnerus in Biblioth. f. m. 135. tit. Nicet. Noſter autem Nicetas dignitate fuit illuſtris, utpote in aula Conſtantinopolitana ſecretorum Logotheta, Inſpector & Judex Beli, & Præfectus cubiculi; *Ingenio præſtans, & veritatis hiſtoricæ, ut mihi videtur, ubique ſtudioſus*; ita *ut major ipſi copia ſit & diligentia, lectioque jucundior, quam Zonaræ*, cenſente Wolfio præfat. in Nicetam. *Hiſtoricum notitia digniſſimum* vocat B. D. Dorſcheus in orat. inaug. anno 1627. habita, *in quo purum rectumq; judicium, ſi aliud illo ævo.* (ſeculo XIII.) vide Poſſev. t. II. app lib. XVI. c. 22. f. 304. Dolendum autem, quod injuria temporum mutili ipſius

ipſius libri ad nos pervenerint, ex quibus ruinis etiam præſens fragmentum eſt. Nam, quæ ſcripſit, aut ipſe vidit, aut certe ab iis, qui viderunt, accepit, quod in præfatione ipſe laudat. Præter hiſtorias autem ſcripſit etiam libros de fide orthodoxa, quorum V. extant, cæteri præter fragmenta perierunt.

§. 2. Ritus initiationis varii referuntur, quos ordinis gratia diſtribuamus in antecedentes, ingredientes, & conſequentes baptiſmum. (I.) *Antecedentes*, qui ſunt (1.) *jejunium.* Nam ſic auſpicatur: *Primum, qui ad fidem orthodoxam accedit, duas hebdomadas jejunat.* Jejunium eſt ritus, qui in S. literis & utroque teſtamento cum veteri tum novo ſuum habet fundamentum & locum. Etiamſi enim ipſum per ſe non ſit cultus Dei, aut *virtus, ſed gradus ad virtutem*, ut Hieronymus loquitur; juvat tamen exercitia pietatis, & Deo placet, ſi juſto modo, & debita intentione peragatur. Solebant olim fideles jejunia uſurpare, cum vel pœnitentiam agere, vel preces ſuſcipere, vel gravius aliud negotium obire decreviſſent. Exempla ex S. literis obvia ſunt. Primitiva Eccleſia inſtitutum illud, ut multa alia, ſuum quoque fecit. Nam, ut alias occaſiones omittamus, prius ſolebant Eccleſiæ miniſtri baptizandis indicere jejunium, quam ad Sacramentum admitterent. Iuſtinus Apol. II. f. m. 73 docet, baptizandos εὔχεσθαι τε ϗ αἰτεῖν νηστεύοντας *orare jejunantes, & petere à Deo priorum peccatorum remiſſionem doceri.* Tertullianus de bapt. c. 20. *Ingreſſuros*, inquit, *baptiſmum orationibus crebris, jejuniis, & geniculationibus, & privilegiis orare oportet.* Linus, vel quicunque auctor eſt, de paſſione S. Pauli, ſcribit: *Sic neque procurrente jejunio neque ad veſperam, baptizati ſunt.* Clemens Rom. Conſt. Apoſt. l. 7. c. 23. (qui liber, judice Chemnit. t. 1. Loc. de Deo, *continet aliqua non inutilia de antiqua forma gubernationis in Eccleſia*) docet: *ante baptiſmum jejunet, qui eſt baptizandus.* Johannes Diaconus in vita Gregorii etiam infantes jejunio ſubjicit: *Paſchalis.* ſcribens, *ſupervenit dies, & tum ſacratiſſimo Sabbato, in quo omnes etiam parvuli baptizandi jejunant, ipſe jejunare non poſſet, cœpit prius mœrore, quam infirmitate deficere.* Hæc ille.

§. 3. *Cauſſa*, quæ veteres impulerunt, plures eſſe poſſunt. *pœnitentia* prius agenda erat de commiſſis delictis; pœnitentiæ autem ſignum non poſtremum habebatur abſtinentia à cibo & potu,

quibus indignos ſeſe peccatores profitentur. Cum Chriſtiani (referente ad an. 1124. Sigeberti continuatore) in terra ſancta à Saracenis premerentur, jejunium indixerunt, à quo ne quidem infantes & beſtiæ immunes erant. *Orationes* præmittebantur negocio iſti arduo, quæ ut eſſent ardentiores & circumſpectiores, jejuniis erant condiendæ. Cum in Damiatæ obſidione annona & reliquus commeatus, Nilo exundante, corrumperetur, publicum orationis gratia indicebatur jejunium, ut mare intra terminos redigeretur. Bonfin. l. VII. Dec. 2. *Negocium* eſt non parvi momenti baptiſmus; ſicut igitur veteres, referente Ireneo lib. 2. c. 57. ſuſcitaturi mortuum, univerſam Eccleſiam ad preces & jejunia perducebant (*αἰτησαμένης μετ. νηστείας πολλῆς ϗ ἁγνείας.*) Ita ſuſcitaturi ſpiritualiter mortuum jejunia illi ipſi volebant. Proximam mihi cauſam tetigiſſe videtur Clemens, vel quiſquis auctor eſt, Conſtit. Apoſt. lib. VII. c. 23. dicens: *Ante baptiſmum jejunet, qui eſt baptizandus. Etenim Dominus prius baptizatus à Iohanne, & in deſertum ductus, poſtea jejunavit &c. Qui verò in eius mortem initiatur, primum jejunare debet, & poſtea baptizari: non eſt enim aequum commortuum & ſuſcitatum, ſub ipſam reſurrectionem mæſtum eſſe.* Vult igitur Chriſtianos imitari Chriſtum, inverſo tamen ordine, qui apud Chriſtum per omnia ſanctiſſimum non requirebat jejunia, ſicut apud hominem peccatorem. Tempus, quo baptiſmum recipiebant, erat paſchale; quod præcedebat jejunium quadrageſimale. Unde B. Chemnit. part. IV. Exam. p. m. 174 175 ex Euſeb. lib. V. 24. Irenæo citante epiſtolam, notat *de publico jejunio, quod ante feſtum paſchatos obſervatum fuit. Quia enim, inquit, circa iſtud tempus, ſicut veteres hiſtoriæ teſtantur, publicè pœnitentes recipiebant, & adultos converſos baptizabant, adhibuerunt juxta ſcripturæ morem publica jejunia, quia etiam illo tempore ad ſeriam meditationem paßionis & reſurrectionis Chriſti, & ad ſolennem communionem ſe præparabant, & in huiuſmodi actionibus antiquitus uſitata fuiſſe jejunia ſcriptura* oſtendit.

§. 4. *Tempus* conſtituitur h. l. duarum hebdomadarum. Indefinitum alias erat, etiam quod præcedebat paſcha. Socrat. lib. V. c. 21. *Iejuniorum rationem, quæ ante paſcha fiunt, aliter ab aliis obſervatam eſſe, facile eſt reperire. Nam qui ſunt Romæ tres ſeptimanas ante paſcha, ſabbato & Dominica exceptis, ſimul jejunant; qui autem in*

Illyrico

Illyrico & Græcia, quique Alexandriæ habitant, ſex ſeptimanas jejunia quæ ante paſcha fiunt, ordiuntur, illudque tempus quadrageſimam nuncupant, alii præter horum conſuetudinem ſeptem ſeptimanas ante illud feſtum initium jejunandi facientes. quamvis XV. dies ſolum, quibusdam intervallis interpoſitis, jejunent, nihilominus tempus illud quadrageſimam vocant. Hæc ille. Privatum tamen baptizandorum fuit jejunium, quod Epiſcopi forſan arbitrium definivit tingendis, prout prudentia ſuadebat. Addit idem Socrates de forma jejunii, à quibus abſtinuerint, à quibus non, alii aliter, & ab aliis, & addit: *Quoniam nemo de ea re præceptum literarum monumentis proditum poteſt oſtendere, perſpicuum eſt Apoſtolos liberam poteſtatem in eadem cuiuſque menti & arbitrio permiſiſſe, ut quiſque nec metu nec neceſſitate inductus, quod bonum ſit, ageret.* Hæc ille ex noſtra ſententia rectiſſime.

§. 5. (2.) *Catecheſis.* Verba Nicetæ ita ſonant: *Orationem illam ediſcit, quæ nobis à Domino noſtro Ieſu Chriſto Sanctis in Evangeliis tradita eſt, quam ſacrum fidei ſymbolum ſubſequitur.* Duo igitur erant Catecheſeως capita. I. *oratio Dominica.* Antiquus ritus eſt, cuius mentionem facit Clemens Conſtit. Apoſt. li. 3. c. 18. *Qui baptizatur &c. tanquam Filius Dei orans Patrem, & dicens ut à communi fidelium conventu in hunc modum: Pater noſter &c. Quoniam tuum eſt regnum, virtus, & gloria in ſecula. Amen!* Obſerva doxologian, quam petitionibus hic, & lib. 7. c. 25. ſubjungit ille, judicio quorundam Pontificiorum, genuinus Pontifex Romanus. Alibi tamen, quod non diffitemur, omittit. Fragmenta Caroli M. de vet. Eccleſ. ritib. à Lazio edita p. m 41. *Poſt horam tertiam Sabbathi præparantur ad Eccleſiam, qui baptizandi ſunt, ſimul cum Patrinis & Matrinis, & ordinantur ab Acolytho, maſculi ad dextram, fœminæ vero ad ſiniſtram. Tunc, qui poſſunt, reddunt orationem Dominicam & ſymbolum, ſive Patrini pro ipſis atque matrinæ eorum qui eos ſuſcepturi ſunt.* Hinc diſcas cur ante orationem dominicam docerentur, nempe, ut in ipſo actu recitare poſſent publicè vel ipſi, vel ſuſceptores. Eadem ratio dicebatur olim ad Euchariſtiam, ſi veræ ſunt ceremoniæ, quas Liturgiæ, Jacobi præſertim, tradunt, & Honorius Auguſtodunenſis in gem. anim. lib. 1. c. 86. repetit: *Miſſam imprimis Dominus Ieſus ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech inſtituit, quando ex pane & vino corpus & ſanguinem ſuũ fecit, & ob memoriam ſui*

 ſuis co-

ſuis celebrare hoc præcepit. Hanc Apoſtoli auxerunt, dum ſuper panem & vinum verba, quæ Dominus dixit, & Dominicam orationem dixerunt. vide Pamel. t. 1. Liturg. p. m. 73. Cum igitur baptizatus S. Cœnam acceperit, accepto baptiſmo, æquum erat, ut ſciret orationem, ad quam populus dicebat Amen. *Tempus* orationis dominicæ explicandæ erat feria ſecunda poſt Dominicam Palmarum, uti docet Auguſt. hom. 42. de commendatione orationis Dominicæ. Vide Calal. d. ritib. Chriſt. lib. 1. c. 5. II. *Symbolum*, varia olim ſymbola fuerunt accreſcentibus ſubinde novis additamentis prout vel hæreticorum calliditas & malitia extorquebat; vel vitia etiam ſeculi comminiſcebantur, ut mox oſtendemus.

§. *6.* Symbolum, quod baptizandi Saraceni docebantur, videtur eſſe illud ipſum, quod auctor ſubjungit, in quo deprehendas veſtigia veteris formulæ, & conſequentium Conciliorum. Sic enim Catechumenus profitetur (1.) *De Deo*: *Credo in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum*: Sunt enim tres diſtinctæ perſonæ, in quas crediderunt fideles V. T. quarum eadem nobiſcum fides eſt; & quas literæ ſacræ in N. T. clarius nobis revelarunt, quam illis: Nam proponunt nobis ad Jordanem Patrem in voce, Filium in carne, Spiritum Sanctum in columba, eas ipſas perſonas, in quarum nomine baptiſmum peragere juſſi ſunt Apoſtoli & ſucceſſores. Matth. III. 16. XXVIII. 19. Quo claritatis gradû è luce ſua nunquam antea prodierat eminentiſſima Trinitas. *Sanctam conſubſtantialem individuamq; Trinitatem* eam Catechumenus idem profitebatur. Nam Deus unus eſt, unitate eſſentiæ. Deut. VI. 4. Marc. XII. 32. I. Cor. VIII. 5. oportet igitur tres perſonas, quarum ſingulæ verus Deus ſunt, eſſe unum verum Deum, eandemque omnium trium eſſe eſſentiam. *Hoc verè unum in quo nullus eſt numerus, nullum in eo aliud, præter id quod eſt,* ut ex Boethio citat pro unitate Dei, Bernhard. de Conſid. c. 5. Dividitur hoc unum, ſi aliam, etiam numero talem, eſſentiam aſſignaveris Patri quam Filio, & huic, quam Spiritui Sancto. (2.) *De Chriſto*, nam ita Catechumenus porro: *Diſpenſationem illam in carne factam, atque ad homines adventum unius è ſancta Trinitate confiteor, nimirum unigeniti Filii & verbi Dei*: &c. Obſerva 1. *incarnationem*, quam vocat *οἰκονομίαν* phraſi Patribus uſitata. Nec enim virtute naturæ ὁ λόγος carnem in ſuam hypoſta-

hypoſtaſin aſſumpſit, ſed admiranda Dei ſapientia ita diſpenſante, ut Deus manifeſtaretur in carne. Fuit quidem inter homines, ſed non apparebat, & ita fuit, ut præſentior fieret carni, quam aſſumſit, quo præſentiæ gradu antea non erat. *Incarnatus* eſt autem non Pater, non Spirtus S. ſed *unigenitus Dei Filius & Verbum Dei.* Etſi enim Pater quoque & Spiritus Sanctus ſuum opus habuerint in carne Filio applicanda, ſolus tamen Filius in ſuam hypoſtaſin carnem & animam aſſumpſit, adeoque ſolus etiam eſt incarnatus. *Vnigenitus* eſt Filius: Nam Deus Pater ex ſua ipſum eſſentia genuit, ex qua neminem alium ſive intra ſive extra Trinitatem genuit. *Verbum Dei eſt*; nempe ὑποςατικὸν quo ille omnia creavit, & adhuc conſervat; quo uſus eſt, cum ad nos loqueretur Ebræ. I. 1. *Qui à Patre ante ſecula genitus eſt*, nempe ab æterno, ita ut nullum fuerit tempus, ut ſic loquar, quo Deus Pater non eſſet; ſecus ac Ariani cavillabantur, erat cum non erat vel Pater vel Filius. 2. *incarnati naturas* & quidem (1.) *humanam.* ſic ille: *Confiteor eum hominem omnibus numeris abſolutum revera fuiſſe, qui ſua tamen divinitate non exceſſerit.* Homo omnibus ſuis numeris abſolutus eſt ille, qui verum Corpus & veram habet animam: Et is erat Chriſtus ſemen mulieris. Gen. III. 5. & homo. 1. Tim. II. 5. conſtans carne & ſanguine, ſicut pueri alii; & anima, quam moriturus efflavit. ſecus olim viſum eſt Saturnino, Baſilidi, Gnoſticis, Carpocratianis, Marcitis, Ophitis, Marcionitis, Valentinianis, Manichæis; Apollinariſtis; Nam alii verum ipſius corpus, alii animam rationalem negabant. Hypoſtaſin quidem humanam non habuit, eam tamen humana natura habuit & divina, quæ in ſuam hypoſtaſin carnem receperat. Et licet humana natura finita; divina autem infinita; neque tamen hæc illam excedit, ut alicubi ſit divina natura, ubi non ſit humana: Quæ enim perſonaliter ſunt unita, ea ſunt ἀδιάςατα. (2) *divinam.* Sic enim pergit profitendo: *Eundem verè Deum & vere hominem eſſe ſine ulla confuſione, converſione, & commutatione in unica perſona & naturis duabus.* Deus alius eſt natura alius gratia. Chriſtus eſt Deus natura, adeoque verè, ſine ullo tropo aut analogia, Contra Simonem Magum, Cerinthium, Ebionem, Nicolaitas, Gnoſticos; Valentinianos, Tatianos, Colarbaſum, Theodotionem, Artemonē, Beryllum, Samoſatenū, Manichæos, Arianos, Mace-

Macedonianos, Aſterianos, Photinianos, Ætianos, Eunomianos, Ærianos, Priſcillianiſtas. Etſi autem duæ ſint Chriſti naturæ, tamen 3. *Una eſt perſona.* Eadem perſona, quæ Deus, eſt etiam homo; Nec enim λόγος hominem aſſumpſit, ſed humanam naturam, eamque in ſuam ipſius hypoſtaſin, quæ utrique naturæ, facta incarnatione, communis eſt. Dum igitur una utriuſque eſt hypoſtaſis, una quoque eſt perſona, quam hypoſtaſis conſtituit. Peccarunt in exceſſu, qui vel διαῤῥήδην vel conſequenter geminam faciebant perſonam: διαῤῥήδην, Cerinthiani, Ebionei, Nicolaitæ, Valentiniani, Elceſaitæ, Manichæi, docentes alium fuiſſe Chriſtum, alium Jeſum Mariæ Filium. Conſequenter Neſtoriani; Alii peccarunt in modo, dum *confuſionem, converſionem, & commutationem in unica perſona & naturis duabus ſtatuerunt.* In quo errore Eutychiani præſertim hæſerunt. Sic enim Eutyches, referente Leone in epiſtola ad Flavianum: *Confiteor,* inquit, *ex duabus naturis fuiſſe Dominum noſtrum ante adunationem, poſt adunationem vero unam naturam confiteor.* aut, ut in epiſtola ad Julianum loquitur: *ante incarnationem duas fuiſſe in Chriſto naturas, poſt incarnationem autem unam.* Huic errori Synodus Chalcedonenſis oppoſuit ſuam orthodoxam ſententiam, nempe *unum & eundem Ieſum Chriſtum, Filium Dei, Dominum & unigenitum in duabus naturis* ἀσυγχύτως, ἀδιατρέπτως, ἀχωρίστως, καὶ ἀδιαιρέτως) *inconfuſè, inconvertibiliter, indivulsè & inſeparabiliter eſſe manifeſtatum; haudquaquam differentia naturarum propter unitatem ſublata, ſed magis utriuſque naturæ in unam perſonam & unam hypoſtaſin concurrentis) proprietate ſervata* &c. Atque huc digitum intendit noſtra confeſſio, cum negat confuſionem, ut eſt inter aquam & vinum commixta; & converſionem aut commutationem, qua divina humanam naturam abſorpſit, velut ignis guttulam aquæ ſibi infuſam.

§. 7. (4.) *Perſonæ merita & fata.* Nam *omnia paſſus ultro eſt.* Sponte ſeſe Chriſtus variis paſſionibus obnoxium reddidit, nullis ipſe peccatis contaminat', aut alia ratione, quam voluntate propria, inductus, ut dira pateretur. *Carne crucifixus eſt, divinitate impatibili manente.* Crucifigi eſt ἰδίωμα humanæ naturæ, quod de divina prædicatur non in abſtracto; *divinitas* enim *eſt impatibilis,* ſed in concreto; Deus enim eſt crucifixus; & quidem ſine

τρόπῳ

τρόπῳ aut ἀλλοιώσει. Sicut enim ſine τρόπῳ eſt homo, recepta in ὑπόστασιν humana natura; Ita ſine tropo eſt paſſus & mortuus. Ergò quam propriè dico: homo eſt paſſus & crucifixus, tam propriè: Deus (in concreto naturæ) eſt paſſus & mortuus. Diſſentimus igitur non tantum à vetuſtioribus hæreticis, qui Chriſtum negantes hominem, etiam negabant eſſe paſſum & mortuum, Simonem ipſi Cyrenæum ſubſtituentes; vel idiomatum communicationem negabant, ut Neſtoriani, cuius Neſtorii inſcitia ſibi perſuadere non poterat Deum poſſe concipi, naſci, creſcere, pati, mori, ſepeliri; ſed etiam à recentioribus Calvinianis, qui quidem fatentur perſonam, quæ paſſa eſt, extitiſſe Deum; Deum tamen ſine τρόπῳ paſſum eſſe (in concreto naturæ) abnegant. Nos quidem non negamus particulas diſtinctivas in 1. genere communicationis eſſe adhibendas, ut Deus dicatur paſſus carne; ut appareat juxta quam naturam prædicatum de Deo prædicetur, vide Gerh. Exegeſ. Loc. IV. §. 186. Gieſen. d. fug Calv. part. 1. diſp. 6. §. 23. ſeqq: Negamus tamen ſolam carnem eſſe paſſam: Nam & Deus revera eſt paſſus, qui tamen caro ſola non eſt.

§. 8. Subjungit confeſſor: *qui ſepultus ſit, tertia die reſurrexerit, in cœlos aſſumptus ſit, indeque venturus cum gloria, ut vivos & mortuos judicet.* Perſpicua ſunt verba, quibus finit ſymbolum ſuum ſeu confeſſionem. Mirandum autem eſt, quod reliqua ſymboli capita non ſint addita; Niſi de induſtria ſint omiſſa à Latinis, propter errorem forte Græcorum de proceſſione Spiritus Sancti. Notari etiam poteſt diverſitas ſymboli ſic dicti Apoſtolici: quod alii aliter recitarint; Non igitur vel ab Apoſtolis compoſitum videtur, vel adæquata fuiſſe regula credendi, ſecus integrum fuiſſet recitatum.

§. 9. Adduntur, quæ appendices ſunt, nec ſatis puræ omnes, ſymboli Apoſtolorum. Sic enim pergit: *Sanctam præterea Virginem, quæ illum in carne peperit, Dei propriè verèque matrem eſſe credo & confiteor: eandemque ut re vera Dei, qui homo factus eſt, matrem, atque idcirco Dominam & Reginam omnis creaturæ, divinâ gratiâ effectam, adoro & veneror.* Habemus hic (1.) *approbanda*, ut quod credat Mariam fuiſſe ſanctam, ſanctitate nimirum cum imputata, tum inhæſiva; præter eam, quæ fuit ex Deo, virginem iſtam ſibi ſeparante in templum λόγου inhabitantis. Peperit illum pridem

ἄσαρκον in carne, quam ex eſſentia ipſius aſſumpſit, nec carnem ſolum, ſed etiam animam ex materna traductam. Peperit autem non merè hominem, ſed etiam Deum: Et quam propriè hominem, tam propriè etiam Deum peperit. Nam una eſt perſona Deus & homo, & una utriusque naturæ hypoſtaſis, qnare quod propriè competit homini, & Deo competere propriè neceſſe eſt. Secus ſenſit Neſtorius: Nam noluit ille Deum bimeſtrem, aut trimeſtrem: aut matrem *Θεοτόκον*: Hoc ipſo geminam faciens perſonam, dum negat idiomatum communicationem. (2.) *improbanda.* Nec enim idcirco *Dominam* eam dixeris *& reginam omnis creaturæ*, quam *adoremus & revereamur* religioſe. Quem peperit, Dominus eſt & Rex omnis creaturæ, qui cultum adorationis religioſum nemini perſonæ, niſi divinæ, vult commodare. Sed ea jam tum erat poteſtas tenebrarum in Eccleſia Græca, inducente pridem Irene idolorum patrona, ut nimiis B. Maria virgo afficeretur honoribus.

§. 10. Errorem errore cumulat confeſſor. Nam pergit: *Panem inſuper & vinum, quibus Chriſtiani myſticè faciunt, quorumque participes divinis in ſacrificiis unà fiunt, credo & confiteor.* Bene hæc, niſi quod verba facere, & ſacrificia ſint liberanda ab æquivocatione. Facere Pontificii exponunt de actu ſacrificandi, ut: *Hoc facite*, idem ſit, quod; hoc ſacrificate. At Chriſtus diſtribuit panem & vinum, non ſacrificavit: diſtribui igitur juſſit, non ſacrificari. Sacrificium equidem Euchariſtia poteſt appellari, ſed partim memorativum, dum recordamur ſacrificii in cruce peracti, cuius in S. Cœna edimus & bibimus reliquias, corpus & ſanguinem: partim ſpirituale, quod preces in S. Cœna adhibitæ ſint ſacrificium Deo probatum. Sed hæc excuſari poſſunt, illud verò difficilius quod addit: *Credó etiam corpus & ſanguinem Ieſu Chriſti revera eſſe, quæ divina eius virtute intellectualiter & inviſibiliter ſupra omnem naturalem cogitationem, ut que ſolus ille novit, transmutata ſint, eumque ita ego etiam me percepturum polliceor: ut quæ revera ſint caro & ſanguis ipſius in ſanctificationem animæ & corporis, & vitam æternam, denique regni cœlorum hereditatem, transmutata iis, qui perfecta in fide communicant.* Corpus & ſanguinem Chriſti in S. Cœna ſacramentaliter eſſe præſentiâ & ore corporis ſumi verum eſt: Nam is eſt verborum inſti-

tutionis:

cationis: Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus, ſenſus imediatus & literalis; Fides tamen ſola iſta intelligit, non ſenſus noſtri, quibus res cœleſtis non eſt obnoxia. Faciunt autem caro & ſanguis Chriſti in ſanctificationem animæ, cum qua arctiſſimè uniuntur, & eius ſalutem in iis, qui per fidem ſpiritualiter fruuntur. Durius autem eſt dicere transmutari, niſi commodè vocem explices ad mentem purioris antiquitatis. Hæc enim mutationem intelligit non phyſicam, ſed moralem, *ut poſt ſanctificationem jam non ſit communis panis, & vulgare poculum, ſed ſit Eucbariſtia, quæ duabus rebus conſtet, terrena & cœleſti, viſibili & inviſibili, ſicut Irenæus & Auguſtinus loquuntur*: apud Chemnit. part. II. exam. p. 136.

§ 11. Melioris commatis ſunt, quæ de baptiſmo ſubjungit: *Rogo inſuper, ut ſancto Chriſti baptiſmo intingar, idque puro & minimè doloſo animo, cordeque & fide ſinceris, mihi procul dubio verèque perſuadeas, ipſum expurgationem eſſe, quæ ſolo percipiatur intellectu, nec non regenerationem animæ & corporis.* Baptiſmus à Chriſto θεανθρώπῳ eſt inſtitutus, ut adminiſtretur in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Objectum eſt omnis homo. Sunt autem alii adulti, alii infantes. Ab illis, ſi ſalutarem velint baptiſmum, requiritur animus fide & pietate ornatus, qui beneficium Dei æſtimet, & debita cum devotione ſuſcipiat. Quod ſi enim id fiat, baptiſmus ipſi expurgatio erit peccatorum, quæ abluit; & regeneratio animæ & corporis, quæ fit per verbum & aquam, Spiritu S. quaſi imprægnatam, tanquam per efficacia organa, quæ fidem in infantibus generent, in adultis obſignent.

§. 12. Impia ſunt, quæ dictis addit, de cultu imaginum & ſanctorum. Non dubium eſt, quin craſſa illa idololatria, quæ Eccleſiam tum inundaverat, multos Saracenorum abſterruerit à Chriſtianiſmo amplectendo, adeo etiam ſanæ rationi adverſatur. Sed audiamus verba confitentis: *Venerandam deniq; crucem ejuſdem veri Chriſti & Dei noſtri, ut quæ non amplius ſit interitus & execrationis inſtrumentum, ſed libertatis æternæque vitæ, atque ſignum victoriæ, quam ille de morte & diabolo reportavit: Venerandus etiam tum verbi Dei ad homines adventus in carne, ſanctæque virginis & Dei Genetricis, quæ illum ineffabili quodam modo peperit: Angelorum etiam divina forma præditorum, & ſanctorum omnium imagines, tanquam prototyporum ſeu*

 exempla-

exemplarium ſymbola, approbo, veneror, & ſaluto. Imo vero ipſos etiam ſacros angelos, & ſanctos univerſos, qui Deo grati & accepti fuerunt, tanquam ſervos & fideles miniſtros illius veneror, & cultu divino proſequor, eius honoris gratia, quem Deo detulerunt. Manifeſtè hæc produnt ætatem, quâ ab uno extremo in alterum exceſſum fuit. Fuerunt, qui nullas omnino imagines tolerari vellent, Iconoclaſtæ dicti; Huic rigori dum medicam adhibere manum Occidentales voluerunt & quidam Græci, ex calcaria in carbonariam delapſi ſunt. Nam in Synodo II. Nicæna Irene impetatrice ſtatutum eſt, ut Imagines cultu divino afficerentur: *Definimus* (ita ſonant verba) *cum omni diligentia & cura venerandas eſſe ſanctas imagines, ad modum & formam veneranda & vivificantis crucis, è coloribus & teſſellis, aut alia quavis materia commode paratas, dedicandas: & in templis ſanctis Dei collocandas, habendasque tum in ſacris vaſis & veſtibus, tum in parietibus & tabulis, in ædibus privatis, in viis publicis: Maximè autem imaginem Domini & Dei Servatoris noſtri Ieſu Chriſti: deinde intemeratæ Dominæ noſtræ Deiparæ; venerandorum Angelorum, & omnium deinde ſanctorum virorum. Quo ſcilicet per hanc imaginum pictarum inſpectionem omnes, qui contemplantur, ad Prototypi memoriam, & record.stionem, & deſiderium veniant; illiſque ſalutationem, & honorariam adorationem exhibeant: Non, ſecundum fidem noſtram, veram latriam; quæ ſolum divinæ naturæ competit: ſed, quemadmodum typo venerandæ & vivificantis crucis, & ſanctis Evangeliis, & reliquis ſacris oblationibus ſuffitorum & luminarium, reverenter accedimus, quemadmodum veteribus piè in conſuetudinem hoc adductum eſt. Imaginis enim honor in prototy[p]um reſultat, &, qui adorat Imaginem, in ea adorat quoque deſcriptum argumentum.* Hactenus Synodus VII. generalis; ut vocatur. Diſtinguit Synodus inter latriam ſeu cultum ſummum & intermedium: illum non vult deferri imaginibus; Vult autem hunc; Nec enim ſufficiebat uſus *μνημονευτικὸς*, quem & orthodoxi probamus; ſed addit cultum, quem ex imagine in prototypum redundare falſo ſibi perſuadet. Abſurda eſſet uxor, ſi propter maritum vel[l]et adulterum diligere; ſic abſurdi ſunt, qui imagines colunt in gratiam Dei, qui Zelotes eſt, nec corrivalem, etiam intermedium, ferre poteſt. Synodus Francofordienſis, quæ, teſte Hincmaro, *Pſeudoſynodum Græcorum deſtruxit*, in terminis refutavit calvum illud effugium: *Quaſi Domi-*

ſi Domi-

ſi Dominus, inquiens, *alicuius rei ſit indigus, & per aliquam rem ſuam fortitudinem, quæ nullam indigentiam habet, faciat adorari?* vide Cent. Magd. VIII. c. 9. f. 360. ſeq. Dn. D. Dorſch. exercit. ad Concil. Francofordienſe. Imaginibus adjunguntur Angeli; & ratio additur, quod ſervi Dei fuerint: Imo quia ſervi Dei, adorandi non ſunt. Apocal.

§. 13. Ex hactenus dictis colligo (1.) Symbolis vetuſtioribus fuiſſe alia etiam addita, quæ baptizandi ediſcerent & profiterentur. Nequaquam igitur ſufficit unum Apoſtolorum ſymbolum recipiendis in Eccleſiam, ſed opus eſt, ut apertè nuncium mittant recens etiam ortis erroribus, & contrariā ſententiā amplectantur. (2.) Credendis inſeri etiam articulum de baptiſmo & S. Cœna, quos inter merè facienda referunt, qui putant, omnia creditu neceſſaria in ſymbolo Apoſtolico contineri.

§. 14. Execratio profeſſionem claudit: *Atque ita ex tota anima, & corde, veraque voluntate, me ad Chriſtianorum fidem recipio. Quod ſi hæc ex hypocriſi & dolo à me dicantur, non autem ex fide, quæ tota ex anima & corde Chriſtum diligente, procedat, ſit mihi anathema & κατάθεμα, animaque mea cum Satana dæmonibuſque collocetur.* Deus non patitur ſibi illudi; illudit autem Deo & hominibus, quisquis Eccleſiæ in recipiendo baptiſmo imponit: Dignus igitur eſt, qui in infernum abjiciatur: Id quod verba illa ſibi velle videntur. Alias nemo ſibi ipſe exitium debet imprecari, etiamſi non habeat, quod exſpectet aliud, ſceleribus commiſſis.

§. 15. Hactenus de capitibus fidei, in quibus candidatus Chriſtianiſmi informabatur; ſequitur (3) *initiatio*, ut ſic dicam, *prima*, quæ fiebat publicè, ut in numerum Catechumenorum confeſſor reciperetur. Huius 1. *efficiens principalis* erat *ſacerdos ſacerdotali ſtola exornatus.* Sacerdotibus enim ſeu Presbyteris competebat adminiſtratio Sacramentorum publica, & eorum, quæ ad ea ſpectabant. *Ad omnes ſacerdotes communiter pertinet catechizare, baptizare, prædicare, conficere, ſolvere, & ligare.* Innocent. III. lib. 1. de myſt. c. 9. Cent. Magd. XIII. c. 6. f 292. *Ornatus* erat ſtola ſacerdotalis dicta. Nam miniſtrum Eccleſiæ habitus quoque diſtinguebat in vulgo, tum præſertim, cum ſacris operaretur. Idem enim Innocentius III. qui ſeculo Nicetæ vixit, lib. 1. de myſt refert

de ornatu ſacerdotis, quod ſtola ſuper lineum veſtimentum collo incubuerit; poſt quam tunica & Dalmatica, caſulâque indutus ſit. *Miniſterialis* erat *diaconus*: qui Epiſcopo vel presbytero Sacris fungenti aſſiſtebat, & populum imperata facere jubebat e. g. orare, præeunte ſacerdote. Conſtit. Apoſt. l. 8. c. 5.

§. 16. (2.) *Materia*, ſeu objectum erat initiandus. *Eum exutum & diſcalceatum ſacerdos introducebat*. Huius ritus meminit Chryſoſt. homil. ad baptiſ. *poſt noſtrum*, inquiens, *magiſterium imbuti, nudis pedibus, uno tantum veſtimento conceſſo ad voces exorciſantium accedunt*. Et Conc. Conſtant. 2. act. 1. *Cum eſſemus in baptiſterio Neophytiſtarum ſine tunicis & calceamentis* &c. Eſt ille ipſe ritus, qui in ipſo baptiſmo adminiſtrando obſervabatur. Nam Sacerdos baptizandum *exuebat, expoliabatque per miniſtros*. Dionyſ. Areop. de Eccleſ. hierarch. p. m. 44.

§. 17. 3. *Forma* conſtabat ex pluribus actibus, quas Sacerdos obibat, ut erant *interrogatio*. an ſponte & ſine dolo malo quæreret fieri Chriſtianus? an Moamedi vellet anathema denunciare? an crederet fidei capita? quibus quæſtionibus ſubjiciebantur totidem reſponſiones vel à Catechumeno, vel à fidejuſſoribus, ſi puer eſſet; vel per interpretem, ſi Græcè ipſe neſciret. Scriptura ſacra vocat ἐπερώτημα *interrogationem bonæ conſcientiæ cum Deo*. 1. Pet. III. 21. Fragmenta Carolina appellant *ſcrutinium*, *ut exploretur ſæpius, an poſt renunciationem Satanæ ſacra verba data fidei radicitus corde fixerint?* p. m. 40. His peractis diaconus dicebat: *Dominum oremus*. Populus reſpondebat: *Amen*; *eoque, qui ad Chriſtum convertitur, caput inclinante*; *ſacerdos pro ipſo precabatur*. Fiebat illa initiatio publicè, populo præſente: *præſentibus aliis quoque fidelibus, quotquot adeſſe volebant*; uti antea Nicetas loquitur: Cauſſa erat non tantum ut omnibus innoteſceret catechumenus, ſed etiam ut preces conjunctæ eo eſſent efficaciores. Preces ipſæ erant devotæ, Deo ita diſponente, ut vel in mediis iſtis ſaltem tenebris baptiſmus & verbum baptiſmi pura conſervarentur. *Deum* enim vocat *magnum, magniq; nominis*; non B. virginem, aut alios ſanctos; *qui oris ſui verbo priores tenebras illuminarit*; Fatebatur igitur ineptum eſſe hominem, qui myſteria divina norit, aut capiat; ſed efficaciam verbi prædicati vel lecti pellere iſtas inducta agnitionis divinæ luce; alludit autem

ad po-

ad φωτισμὸν, quo nomine baptiſmum dicebant. *Qui unigenitum Filium ſuum in mundum miſerit, ut eſſet propitiatio pro peccatis noſtris.* Bona igitur opera, ſi quæ facimus, non impetrant nobis peccatorum remiſſionem, ſed meritum Chriſti in cruce partum. *Qui ſedet ſuper cherubim, quem glorificant Seraphim, cui omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium & inferorum*; Deus enim eſt objectum adorationis: & ille ſolus; *quem omnis terra ſeculorum regem confitetur*; *qui ovem errantem in ſervatoris noſtri Ieſu Chriſti ovile reduxit, qui convertit peccatorem à via ipſorum.* Converſio igitur peccatoris ad Deum eſt opus non hominis, utpote errantis, ſed Dei, qui ad Eccleſiam errabundum reducit manu miniſterii per verbum & ſacramenta. *Hunc igitur quoque ſervum tuum à tenebris adverſariis ad lumen æternum converte.* Etiamſi Deus velit omnes homines ſalvari & ad veritatis agnitionem pervenire, rogari tamen vult, ut faciat, quod homini eſt ſalutare. *Revoca ipſum ab errore diaboli*, nempe Muhamediſmo, diaboli fraude introducto; *ad divinitatis unigeniti Filii tui Ieſu Chriſti cognitionem.* Muhammedani negant Chriſtum eſſe Filium Dei naturalem, edocti id ex Monacho quondam Ariano, qui Muhammedani Alcorani cum aliis author extitit; Jam vero ſalvari nequit, niſi qui Jeſum Chriſtum agnoſcit verum Deum. Joh. XVII. 3. Rogandus igitur Deus, ut illam Filii ſui agnitionem in corde catechumeni accendat, & accenſam conſervet. *Confirma cor eius in fide & dilectione Chriſti tui.* Gratia divina non tantum initium facit converſionis, ſed & medium, imò & finem, dans velle & perficere. Phil. II. 13. *Partem & hæreditatem ei largire in Eccleſia tua*: Extra eccleſiam Catholicam nemo ſalvatur; & qui veræ Eccleſiæ membra ſunt viva, illi filii Dei ſunt, qui vitam æternam accipiunt ſub nomine hæreditatis. Rom. IV. 13. Gal. IV. 7. Rurſus igitur Deus eſt orandus, ut nos inſerat ſuæ Eccleſiæ vivos quaſi ramos in ea futuros. *Tu enim es Deus noſter, & unigenitus Filius tuus, & Spiritus ſanctiſſimus, nunc & ſemper in ſecula.* Bene obſignat preces nomine Dei Trinunius, utpote qui ſolus eſt potens & promptus præſtare di quod promiſit, & nos juſtè petimus in iis quæ ſalutem concernunt.

§. 18. *Mox Amen reſponſo, ſignoque crucis impreſſo catechumenum eum ſacerdos dimittit: qui poſtridie Catechumenis accenſetur.*

Crucis

Crucis ſignum adhibebatur in gratiam meriti, quod in cruce Chriſtus nobis impetravit: Ut enim baptizandi ſcirent, cui virtutem verbi & aquæ baptiſmalis deberent, crux formabatur digitis, quæ id ſignificaret. vide Tert. de bapt. c. 8. *Catechumeni* dicebantur ἀπὸ τοῦ κατηχεῖσθαι ſeu informando. Docebantur enim à doctoribus Eccleſiæ dogmata & capita fidei Chriſtianæ, non prius ad Euchariſtiam vel ſpectandam vel participandam admiſſi, quam informati & baptizati forent. Situs erat *ad orientem*, cum initiabantur. Nam inde apparuit Chriſtus reſuſcitatus, & apparиturus creditur olim ad judicium.

§. 19. Sequebatur *inſufflatio* ter repetita, ad imitationem Chriſti, qui diſcipulos per halitum Spiritu ſuo ſancto afflavit: *frontique* iterum januæ animi, *& pectori*, ſub quo cor, vitæ frons, ſalit, *ſignum crucis imprimit*; manumque capiti imponit iterum oraturus. De quo ritu Tert. de baptiſ. c. 8. *Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans & invitans Spiritum S. ſanè humano ingenio licebit ſpiritum in aquam arceſſere, & concorporationem eorum accommodatis deſuper manibus alio ſpiritu tantæ claritatis animare, Deo autem in ſuo organo non licebit per manus ſanctas ſublimitatem modulari ſpiritalem?* Hæc ille. Largiri poſſumus has & ſimiles ceremonias, dummodo non fiant ſub opinione efficaciæ, meriti, aut neceſſitatis. Orationem, quam ſacerdos recitat, tranſſcribere nolo; Nam prolixa eſt, nec, præter originale peccatum, quod veterem errorem vocat, aliam ferè quam ante dictos, articulum complectitur. Atque hæc ſecunda vice peracta eſt initiatio.

§. 20. Repetitur tertiùm initiatio. *Poſtridie* enim catechumenus, *per exorciſmum, ſeu adjurationem*, *religione obſtringitur*. Exorciſmus ritus eſt perantiquus; Nam Tert. d. coron. milit. c. 3. jam meminit: *Aquam adituri ibidem, ſed & aliquanto prius in Eccleſia ſub Antiſtitis manu conteſtamur nos renunciare diabolo, & pompæ, & Angelis eius.* repetit cap. 4. & 24.

§. 21. Supereſt anathematizatio Muhammedis & ortæ ex ipſo religionis. Moris jam ab antiquo fuit, ne heterodoxi in ſinum Eccleſiæ prius reciperentur, quam manifeſtata & damnata ſuorum pridem aſſeclarum doctrina & cultu & malitia, appellatis hæreſiarcharum nominibus & expreſſis. Idem mos obſervabatur, &

tur, &

tur, & merito quidem, in receptione Saraceni. Ita autem ſonant verba anathematiſmi. I. *Renuncio omni Saracenorum religioni, & anathematizo Moammedum, qui alias Machumetus dicitur, quem Saraceni ut Dei Apoſtolum & prophetam venerantur.* Saraceni nomen habent à סרק furari, latrocinari, graſſari; Nam gens illa latrociniis erat aſſueta & infamis: Alii tamen à Saraca urbe derivant, putantes, quod Saracenos, ſi à latrocinando dicti fuiſſent, eius nominis puduiſſet. Sed quid ſi honori id vitæ genus ſibi duxiſſent? Religione pridem erant Ethnici, ſiderum cultores; donec Moammedus (alias & Machomet, Machmed, Mehemmet, Machumetus, Mamedus dictus) novam conderet religionem ex Chriſtiana, Judaica, Gentili, & hæretica conflatam. Impetravit autem Eraſmus ille Deſiderius (ea enim ſignificatio vocis Muhammed eſt) ſpecioſum apud ſuos nomen, dictus κατ᾽ ἐξοχὴν אלנבי propheta; & רסול Apoſtolus. Hanc anathematizat confeſſor. Poſt ipſum

§. 22. II. *Alim Mahummedi generum, item Aponpicertum, Bacicer, Amar, Talchan, Apupacren, Sadicenum, Maievie, Zupeerum, Abdelan, Zeit, Iſith, Sair, Vthman, & cæteros omnes Moammedi Collegas, ſodales, & ſucceſſores.* Muhammedi erat uxor Chadiga, & ex hac ſuſcepta filia, Phatuma dicta, quam Ali cuidam in matrimonium tradidit. Ille vero Ali fuit inter primos Muhammedis paraſtatas. Perſarum præcipuum idolum, ita ut ſchiſmatis occaſionem contra Turcas hinc ſumpſerint. vid. Hott. Theſaur. Phil. l. 1 c. 1. ſect. 9. ſucceſſores habuit Muhammed, Abubecrum, Omarem, Othmannum, Alim, qui hoſtes habuit domeſticos Talhum, Zuberum, & Ayſiam; nec non Muhaviam, quem tamen Haſenus Hali filius ſibi ſucceſſorem fecit; Muhaviæ ſucceſſit Jezirus filius. vide Cl. Hotting: Hiſtor. Eccleſ. c. 7. p. 408. ſeqq. Exinde apparet, quod olim moris fuit, etiam hoc ſeculo obtinuiſſe, nempe ut hæreſiarchæ cum complicibus expreſſo nomine anathematibus ferirentur.

§. 23. III. *Anathematizo Gadisè, Aiſi* (Abucara legit Σαίσα opuſc. p. 484.) *Zeinep, & Omzelthum, primas, easque impuriſſimas Moammedi conjuges, una cum Phatuma eius filia.* Eminet inter uxores Chadiga, (ſic enim rectius legunt) pridem Muhammedi hera, deinde uxor, & tandem σύνεργος in faſcinanda plebe. Cum enim Mahummed ipſi perſuaſiſſet colloquia Angelica, quibus ipſe epi-

lepti-

lepticus frueretur, cœpit illa circumcurſitare, ut ſolent loquaces fœminæ, ſuumque deprædicare maritum apud alias ſ:i ſexus, quæ & ipſæ ſuis maritis perſuadento impoſuere; Sic Apoſtolas ſuas habuit impoſtor. Non prim⁹ ille fuit, qui hoc uſus eſt ſtratagemate, ſed habuit anteceſſores, hæreſiarchas, qui fœminas ſibi ſeductrices adjunxerunt. Simon Magus Helenam, Apelles Philumenam, Montanus Priſcam & Maximillam, Carpocrates Salomen, Marcelliani Marcellam, Mariamnem & Martham Oſſeni, Marcus Agapen; Arius Moniales; Macedonius συνεισάκτυς; Priſcillianus meretriculas, alii alias ſibi adjunxerunt, quæ forma, vel ſuada ſua deciperent incautiores. Merito igitur fœminis quoque anathema denunciatur.

§. 24. IV. *Anathematizo eum, qui dicitur Corè, h. e. univerſam Moamedi ſcripturam, quam ſibi per Archangelum Gabrielem divinitus delatam eſſe fingit, atque ſimul & ſemel doctrinam eius univerſam, leges, apocryphas narrationes & myſteria: nec non traditiones, & omnes eiusdem blaſphemias.* Muhammedani geminum habent fidei principium, alterum ſcriptum, alterum non-ſcriptum, ſed traditum. Illud radice à Judæis accepta, vocant Alcoranum, ex Al hæc; & Koran lectio. Judæi vocant Hammikra ſcripturam ſacram, cuius loco Muhammedanis eſt Alcoranus. Azoar. 16. 17. vocant illum & פורקא Phurcan, *librum bona à malis diſcernentem.* Azoar. 31. item Almoſaph. Rapſodia eſt ex ſacris literis male allegatis & fabulis Thalmudicis hæreticisque conſarcinata à Muhammede, uſi opera Judæi & hæreticorum quondam Chriſtianorum. Diviſus eſt liber in Azoaras 124. & ſcriptus Arabice ſtylo non contemnendo. Maximi fit apud Muſulmannos; Nam credunt Gabrielem inſpiraſſe Muhammedi librum illum fanaticum; cum in ſpelunca juxta Mecham deliteſceret impoſtor.. Præter ſcriptum Alcoranum ſuam quoque habent Miſchnam ſeu Δευτέρωσιν quam vocant Sunam, & ipſi populus Sunæ. vide Cl. Hotting. hiſtor. Eccleſ. c. 7. p. m. 406. Lex eſt ἄγραφος & pari pietatis affectu nugas iſtas proſequuntur. Chriſtianus ab utroque principio abhorret.

§. 25. V. *Anathematizo Muhammedi paradiſum, in quo fluvios 4 eſſe ait, unum aqua limpida, alterum lactis ſuavitatem ſuam non amittentis, tertium vini dulcis, quartum mellis dulciſſimi; atque futuro judicii die, quem in annorum quinquagena millia definit, Saracenos in*

ipſo commoraturos una cum propriis uxoribus, & cum illis carnaliter, ut ita dicam, & ἐμπαθῶς *h. e. cum perturbato & pathetico affectu congreſſuros; vitamque acturos ſub umbra quarundam arborum, quæ Sidra & Taleh vocantur, atque avium, quas cupiunt carnes comeſturos, & ex omnibus fructuum ſpeciebus. Ad hæc ex fonte Caphura; & ex fonte Zinziber, qui Salſabila nominatur, bibituros. Item vino uſuros, cuius cornu quidem ex fonte Theonim. Quorum Saracenorum, tam maſculorum, quam fœminarum ætates eiusdem cum cœlo magnitudinis; membra autem cubitorum 40, cum citra ſatietatem venerea coram Deo exercebunt, quia Deus, ut ait ille, nullo pudore ſuffunditur.* Muhammedani duos ſtatuunt paradiſos majorem & minorem. Illi adſcribunt delicias carnis & oculorum varias, de quibus, præter allegata, vide Alcoranum ipſum Azoar. II. quæ memorat *dulciſſimas aquas, pomaque multimoda, fructus varios, & decentiſſimas, ac mundiſſimas mulieres* ibidem locorum futuras. Azoar. 26. promittit *illic annulos, & torques aureas, & ornatus ſericos virides, & deauratos, & lectos auleis ſtratos.* Azoar. 35. appellat *locum ad ſtandum & ſedendum optimum.* confer Azoar. 46. 47. 48. 62. 88. Commorabuntur in eo *Saraceni cum uxoribus,* qui nimirum Moammedi crediderunt, & fecerunt, quod honeſtum & juſtum. *Illuc enim patebit aditus omnibus, qui parentibus ſuis, atque mulieribus, & filiis benefecerint.* Azoar. 23. 28 36. Durabit in æternum. Azoar. X. & XXVIII. Minorem occupabunt mulieres & Chriſtiani piè viventes. Unde hæc? Niſi ex putidis judæorum lacunis, & hæreticorum quisquiliis Cerinthi, Nepotianorum, Æternalium, Chiliaſtarum.

§. 26. VI. *Anathematizo Angelos, qui propriis à Moammedo nominibus exprimuntur: Nimirum Aroth, Maronem, Tzapha, & Marova: quos piis in Deum prodigioſo mendacio accenſet, unàque cum illis fabuloſos eiusdem prophetas & Apoſtolos, ſcilicet Chud,* (i. e. Eberum) *Zalech, vel Starech,* (i.e. Pelegum) *Soaip, Edris* (i. e. Enochum) *Duacibel,* (i. e. Eliam) *& Lochman,* (i. e. Æſopum) juxta Cl. Hotting. lib. 1. hiſt. orient. c. 3. Angelis monſtroſa nomina affingebant hæretici & officia, ex quibus dubio procul Muhammedes ſuxit errorem; Nec non ex Judæis, qui & ipſi ſimilibus quiſquiliis delectantur. Fingunt Aroth & Maroth malorum Angelorum principes, ex quibus Magiam didiciſſet Salomon. Azoar. 2. *De prophetis*

lege Azoar. 172. nugæ enim adeo ſunt putidæ, ut nolim chartas illis commaculare. Vocant Muhammedani *prophetas*, quos nos vocamus Patriarchas. e g. Adamum, Sethum, Henochum, Noachum, Eberum, Pelegum &c. Nec eo quidem in nomine errant. Fuerunt enim illi in ſuis familiis Concionatores verbi, & vates futurorum: Sed aliud volunt Muhammedani ſuis illis prophetis, nempe genealogiam Muhammedis ab Adamo per intermedios Patriarchas usque ad ſuum Prophetam luce divina illuſtrem derivare.

§. 27. VII. *Anathematizo teſtimonia omnia Moammedi, quotquot ſcilicet ex V. T. adducit, quæ invertit & adulterat, infinitaque adeo mendacia de Noe, Abrahamo, Iſaaco, Iacobo, Ioſepho, Iobo, Moſe, Aarone, Davide, Salomone, Elia, Iona, & Zacharia, Iohannis præcurſoris patre congerit.* Ita eſt, ut dicit confeſſor; Non quidem facile eſt pagina, in qua non ſcripturæ meminerit Alcoranus, ſed mala fide addens, detrahens, commiſcens quadrata rotundis ex Judæorum fabulis, hæreticorum figmentis, & propriis ſuis commentis, ut facilius Æſopi fabulas, quam iſta credas. Ne verò fraus & malitia deprehenderetur, mentitus eſt nebulo ſcripturam à Judæis & Chriſtianis corruptam, &, quia traditionibus non ſcriptis careret, eſſe imperfectam; cuius defectum ſuppleret Alcoranus. Abucara in opuſc. p. m. 481. Alcoran. Azoar. 5. 11. 12. 15. 21. 22. 29. 31.

§. 28. VIII. *Anathematizo, quæcunque idem barbara illa & indocta Theologia, cum de cæteris Dei creaturis, tum de Sole & Luna diſſerit, cum equites eos eſſe fabulatur.* Ignarus fuit Muhammed bonarum literarum quare non mirandum eſt, quod barbaram ille Theologiam genuerit ille *nuncius legendi ſcribendique neſcius*, ut vocatur in Azoar. 17. f. m. 57. Imprimis inſulſum eſt, quod de ſciſſione Lunæ fabulatur in Alcorano ſuo Azoar. LIII. vide Hotting. hiſtor. orient. l. 2. c. 5. Equites eſſe ſtellas forſan ex Sabæorum aut ipſorum gentilium poëtarum ineptiis petitum eſt. Sabæi Arabiæ felicis incolæ celebres ſunt apud orientales ἀστρολάτραι, fingentes Planetas eſſe Deos, ſed *duo luminaria magna* Solem & Lunam eſſe *maximos. Invenies etiam eos perſpicuè dicere ſolem eſſe, qui mundum gubernet ſuperiorem & inferiorem.* c. 8. Ex his igitur adhuc ſuperſtitibus Muhammed facile ſurgere potuit errorem de ſuis equitibus: præſertim cum etiam ex S. literis noti ſint currus ſolis & equi. 2. Reg. XXIII. c. 11.

§. 29. IX.

§ 29. IX. *Anathematizo apocryphamillam Saracenorum diſciplinam, una cum Moammedi promiſſione, qua clavigerum ſe paradiſi fore ait, & introducturum in eum 70000, Saracenorum juſtorum. Deum autem peccatores judicaturum, quos quidem, tabellis collum cingentibus, Moammedique libertos dictos, in paradiſum ingreſſuros eſſe ait.* Multa ſuavia ſomnia delirus Agyrta ſuis promiſit Agarenis, imprimis poſt mortem, ut eo promptiores haberet in periculis ſubeundis.

§. 30. X. *Anathematizo impura omnia præcepta, quæcunque de nuptiis, de nuptiarum ſolutione, ſeu divortio, de adulterarum uxorum purgatione, de uxorum & pellicum numero, denique de cæteris id genus tradit.* Divortia Muhammed ſuis permiſit, *Cum contigerit vos illas non diligere, quanquam forſan à Deo multum proficuum allaturo dilectæ fuerint, unam pro alia mutare licet.* Azoar. 8. Polygamiam iisdem permiſit. Nam *quotcunque placuerit duas ſcilicet, aut tres, vel quatuor uxores, ducite, niſi timueritis eas nullatenus pacificare poſſe* l. c. Colloquium de polygamia inter Saracenum & Orthodoxum Chriſtianum lege apud Theod. Abucar. p. 493. Adulteræ detinebantur in domibus, donec vel viam ipſe Deus aperiret, vel morerentur. Azoar. 8.

§. 31. XI. *Anathematizo Moammedi blaſphemiam, qua ſic loquitur : Deus, quemcunque vult, in errorem inducit, &, quemcunque vult, in bonum dirigit. Item, ſi Deus voluiſſet, homines haudquaquam mutuis ſe bellis conficerent, ſed ipſe facit, quidquid vult : idemque boni & mali omnis auctor eſt. Fortuna denique & fatum omnibus rebus dominantur.* Error hic eſt merito *blaſphemus* dictus ; Nam Deum facit auctorem peccati, ne quid dicam de ſublata hominis libertate. Deus quidem, quemcunque vult, in bonum dirigit; neque enim operibus noſtris id beneficii meremur, aut precibus Deum inducimus, ut nobis gratiam ſuam admetiatur ; Neque tamen Deus, qui optimus eſt, in errorem quenquam inducit, etſi ab alio induci, juſto judicio, permittat, vapulat igitur ille apud Hotting. hiſt. orient. l. 2. c. 3. Muhammedanus, cum de Deo dicit, quod ſit *errare faciens quem vult (cum nempe juſto ſuo judicio deſerendo) & dirigens, quem vult, eique pro miſericordia ſua opem ferens.* Explicatio interpoſita non quadrat phraſi: *errare faciens*: qui enim *deſerit*, nihil facit, ſed fieri permittit. Paulo ante idem dixerat : *Bona & mala, dul-*

cia & amara, quæ omnia gubernat Deus Dominus noſter, in cujus manu diſpoſitiones ſunt rerum, earumque proceſſus & origines á decreto ejus dependent. Omniaque novit, prius quam eveniant, eademque omnia fluunt ex ordinatione ejus. Nihil á cultoribus ejus datur effectum, ſive verbum ſit, ſive opus, quod non jam decreverit, ſuaque Præſcientia anteverterit. Hæc ille. quæ ὁμώ-ψηφα ſunt iis, quæ noſter confeſſor anathemate, & merito, percuſſit.

§. 32. XII. *Anathematizo Muammedi nugas, quibus ait, quod Dominus & Deus noſter Ieſus Chriſtus ex Maria Moſis & Aaronis ſorore natus eſt ſine ſemine, ex Dei verbo & Spiritu Sancto: quodque cum adhuc infans eſſet, volatilia luto effingeret: & inſufflando animam eis inſpiraret, cæcos ſanaret, mortuos ſuſcitaret. Item, quod Apoſtolorum hortum petiit á Deo, & detulit è cœlo menſam, & nutrivit eos. Item, quod neque crucifixus eſt, neque re vera mortuus, ut homo, ſed phantaſia ſola ab Hebræis ea perpeſſus. Item, quod á Deo interrogatus: Num ſeipſum in mundo Deum nominaſſet? negavit, dicens: Tu ſcis omnia, & noſti, quod nunquam me Deum aut Filium tuum nominavi, Servus enim tuus ſum, nec tamen eo ſuperbiæ evado, ut eo me nomine dici velim.* Plures errores cumulantur (1.) *Chronologicus*, de Matre Chriſti, quam confundit rude pecus cum Miriam ſorore Moſis & Aaronis; Eſt, qui ſe miſere torquet, ut nodum ſolvat, Ahmed Ibn Edris Muhammedanus ſcriptor, ſed non extricat ſeſe. vide Hott. hiſt. orient lib. 1. c. 3. Infinitis ejusmodi anachroniſmis ſcatet cento Alcoranus. (2.) *Hiſtorici.* De pueritia Chriſti miraculoſa, & menſa cœlitus lapſa (3.) *Dogmatici*: Negavit enim (edoctus ab hæreticis, de quibus ſupra) Chriſtum crucifixum eſſe vel mortuum; Spectrum igitur & præſtigiæ fuerunt: vel certè Simon Cyrenæus, ut nugabantur olim, quem loco Chriſti cruci affixiſſent Judæi. Arianam ſcholam ſapit, quod de colloquio inter Patrem & Filium ſomniat ſeductor. Nam finis eſt negare Chriſti divinitatem: Ut mox apparebit. Interea noto vertiginem Pſeudoprophetæ, qui, ut confeſſor dicit, negat Chriſtum voluiſſe dici ſervum Dei, & tamen Azoa. 29. dicit: *Ego ſum Dei ſervus.* & paulo poſt: *Super me eſt divina ſalus in die mea nativitatis & mortis & qua vivus iterum accedam.* Qui igitur mortuus non ſit?

§. 33. XIII. *Anathematizo doctrinam, quæ Chriſtum Dei Filium non eſſe dicit, ſed Apoſtolum & prophetam: quia inquit ille, Deo ſocius nul-*

lus eſt: & qui cunq; Chriſtum illi ſocium adjungunt,ii puniendi ſunt in gehenna ignis. Merito confeſſor invertit telum in Muhamedem, & dignum gehenna cenſet, quod Chriſtum non Deum ipſum, vel Dei Filium, ſed merum Apoſtolum & Prophetam tradat. Fatentur equidem Muhamedani, *Chriſtum eſſe filium Mariæ, Filium Dei, verbum eius & Apoſtolum eius*; referente Elmacino hiſtor. Sarac. lib. 1. c. 1. accenſent eundē Prophetis Enocho, Eliæ &c. Sed negant eſſe Deum. *Omnes dicentes Chriſtum Ieſum Mariæ Filium, Deum exiſtere, mendaces & increduli reperti ſunt.* Azoar. 12. Rationem addit impoſtor: *Cum Chriſtus ipſe dixiſſet: Filii Iſraël in Deum Dominum meum atque veſtrum credite: cui quiſque ſocium atque participem poſuerit, ingreſſum paradiſi illicitum ſibi reperturus, & in ignem ibit, in perpetuum expers adjutoris atque vindicis.* Theodorus Abucara Epiſcopus Carum in opuſc. p. 3. 497. inquit: *Saracenorum diſciplina, & omne ſtudium eorum eo ſpectat, ut divinitatem verbi Dei negent, & undique contra illud aciem inſtruunt, ut probent non eſſe Deum, neque Filium Dei.* Et rationem ſubjungit: *Eorum enim pſeudopropheta, utpote Ariani auditor, hoc ipſis impium dogma tradidit.* Hæc ille. Huc ſpectat anathematiſmus XXII, qui ſic ſonat: *Imprimis autem Moammedi Deum anathematizo, quem unicum Deum auroque ſolido conſtantem Deum eſſe ait, qui nec genuerit, nec genitus ſit, nec ſibi ſimilem quenquam habeat.* Totidem ferè verbis hæc habet Carum Epiſcopus. p. 483. §. xx. *Profeſſus enim eſt* (ita ille de Muhammede) *velut à diabolo actus, ſe à Deo miſſum, ut effundat ſanguinem eorum, qui affirmant, Numen divinum eſſe perſonis trinum, & omnium illorum, qui non dicunt:* ὁ θεὸς μονάξ, ὁ θεὸς σφυρόπηκτος, ὃς οὐκ ἐγέννησεν, οὐδ' ἐγεννήθη, οὐδὲ γέγονεν αὐτῷ ἀντιπαρειστής τις. i. e. *Deus eſt ſolus, ſeu ſolitarius, unica perſona conſtans, qui neque genuit, neque generatus eſt, neque conſortem ullum habuit*: vertente Gretſero.

§. 34. Huc ſpectat controverſia, quæ imperante Manuele Comneno orta eſt inter ipſum & Theodoſium Patriarcham de Deo Muhammedis. Occaſio certaminis erat anathematiſmus, qui extabat in libellis Eccleſiaſticis; verba hæc erant: Ἀνάθεμα τῷ θεῷ Μωαμεθ, περὶ οὗ λέγει, οὔτε ἐγέννησεν, οὔτε ἐγεννήθη, καὶ ὅτι ὁ λόσφυρός ἐστιν i. e. *Anathema ſit Deo Mohammedis, de quo dicit: neque genuit, neque genitus eſt, & quod ſit holoſphyrus.* Comnenus, exiſtimans divinæ ſanctitati & Saracenorum converſioni hoc derogare, juſſit verba iſta ex tabulis

& li-

& libellis Catecheticis eradi, *blaſphemiis enim qualibuſcunque in Deum offendi Agarenos, qui ad piam noſtram religionem tranſirent.* Negavit Patriarcha blaſphemiam eſſe; *Nec enim Deum cœli & terræ con litorem ullo modo anathemate notari, ſed Holoſphyrum illum Deum, quem delirus & furioſus Muhammedus nec genitum nec gignentem fingeret.* Tandem in hanc formulam conventũ: Ἀνάθεμα τῷ Μωαμὲθ, ϗ πάσῃ τῇ αὐτοῦ διδαχῇ ϗ διαδοχῇ *maledictus ſit Mahommed, & omnis ipſius doctrina & ſucceſſio.* vid. Nicet. Añal. f. 26. Camerar. in not. ad Niceph. Conſt. Chronol. p. 231, Cent. XII. Magd. c. 9. f. 603. Patriarchæ ſententiam nos probamus. Nec enim ille Muhammedis Deus eſt verus Deus, quippe quem negat eſſe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, affirmãs eſſe σφυρόπηκτον malleo compactum, ſeu ὁλόσφυρον totum malleo ductum: *Gretſerus vertit: ſolitarium.* Quod ſi falſus ſit Deus, ut eſt, anathema dicere licet. Iſai. XLIV. 9. ſeqq.

§. 35. Sequentes XIV. XV. XVI. anathematiſmi feriunt Meccam domum obſervationis & oratorium Turcarum, quod mentiuntur ab Abrahamo & Iſmaele eſſe conditum; & colunt veneris lapidem, qui in ejus medio jacet; contra lapides tollunt ſeptem ibidem in Chriſtianos. XVII. matutinam ſtellam, quam Venerem Latini; Saraceni Chabar, nominant, colunt Muhammedani, unde anathema Idololatris dicit confeſſor. XVIII. anathematizat fabulam de Camelo; XIX. anathematiſmus tangit contemptum Chriſtianorum, & contra gloriam Saracenorum, qui in bello contra illos moriuntur. Nam hos impoſtor martyres laudat, illos venales, vulgares, & meretricibus addictos criminatur XX. De precibus conſtituones XXI. Fabulas de hominis formatione & adoratione explodit.

§. 36. Abſolvimus anathematiſmos, quos dicebant Catechumeni, & jamjam baptizandi Saraceni. Nam poſtquam privatim didiciſſent orationem Dominicam, ſymbolum, & anathematiſmos; & aliquandiu competentes in cœtibus publicis ſcripturas, publicè lectas, audiviſſent, ſiſtebantur tandem ad baptiſterium Sponſoribus adſtantibus; Et recitatis primum anathematiſmis ad occidentem converſi, ſubjiciebant ad orientem reſpicientes ſymbolum Chriſtianum: *Peractis ita omnibus baptiſmi ceremoniis, digni habebantur, qui divina regeneratione expiarentur*; imo mox ter in aquam merſi in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti reliquis Chri-

ſtianis

ſtianis annumerabantur. Hi ſunt ritus, (11.) qui *ingrediebantur* ipſum actum & conſtituebant. In quibus quia nihil difficultatis occurrit, nec etiam ipſe Nicetas materiam ulterius etiam de conſequentibus dicendi nobis ſubminiſtret, ideoque hic in eo, cum quo cœpimus, Deo Ter. O. M. finimus.

Deus ille, qui vult omnes homines converti, & ad agnitionem veritatis pervenire, faxit clementiſſimè & potentiſſime, ut remotis impedimentis, tot à Ieſu noſtro redemptæ, ſed heu ſeductæ à diabolo! animæ, Muhammedani, ad Veram Dei agnitionem, abjectis erroribus, velint redire. Nos interea piis precibus, & ſtudiis, & innocentia vitæ allaboremus, ut noſtrum quoque faciamus officium i.e. τοὺς ἐξ ἐναντίων in caſtra Ieſu Chriſti perducamus. Amen!

Deo vero, qui genuit, & genitus eſt, & ab eodem, qui genuit & genitus eſt, procedit, Deo Patri, Deo Filio, Deo Spiritui Sancto ſit laus & gloria in perpetua ſeculorum ſecula. Amen!

Lector Benevole!

SPatio vacante monere Te volui, ad diſputationis §. 1. ſub finem, quod tum quidem viſus fuerit Nicetas maximam partem intercidiſſe, cum Bibliotheca patrum ederetur. Sed eodem mox ſeculo apparuiſſe reliquos 25. libros Theſauri. Hic enim defuncto Niceta Choniate, ad Michaelem Choniatean pervenit, & hoc mortuo, in manus Theodori Scutariotæ, Cyziceni; & Cyzico devaſtata in Monaſteria montis Atho, tandemque Lutetiam ad Santandreanos, qui Morello V. Cl. edendum tradiderunt.

SI legitur purum de terræ ſordibus aurum,
   è Spina & molles aſperiore roſæ.
Nos quoque de veterum, ſequior quos pertulit ætas,
   ſcriptis divinas rite legamus opes.
Græcia, poſt priſcam virtutem degener ætas,
   præbet, at heu! paucas Græcia præbet opes.
Sunt tamen, ut poſſit latitans Eccleſia dici,
   Dogmata; Nicetæ debile fragmen habet.

benevol. ergo fecit

D   Præſes.

DEfuncti qui ſancta teris veſtigia Patris,
Strauſſiade, obtinget ſors Patris una tibi.
Paſtores inter fuit ille columna decusque:
Tu quoque Marchiaco ſidus in orbe clues.
Nil refert natale ſolum mutare, beavit
Sæpius ignotos extera terra viros.

M. Joh Matthias Schneüber P.L. Gymn

CArmina, carminibus docti qui ludere norunt,
Dent alii, paucos accipe verſiculos.
Præſide *dum* tanto *prudenter fila regente,*
Cum doctis pugnam non ſine laude ſubis.
Gratulor ergo tibi STRAVSSI, cæptumque ſecundet
Hocce tuum cœli qui regit aſtra Deus.
Perge bonis avibus magnumque *imitere Parentem,*
Sic Patris *& proprio nomine clarus eris.*

M. Daniel Andreas Tromer.

NOn niſi currenti veniunt præclara brabea;
Non niſi certanti pulchra corona datur;
Ergo ritè facis, dum vera fidemque tueris,
Relligionis amor ſedula cura tibi eſt.
Te ſic oſtendis legiſſe volumina ſacra,
Præſide quod tanto pulpita docta ſubis:
In ſtudii ſtadio decurris ſedulus uſque,
Et modo concertas non ſine laude nova.
Gratulor, & voveo, *Strauſſi* memorande, benignus
Ut tibi concedat fata ſecunda Deus.

M. Johannes Güntzlein Arg.

CVr tua taurino celebrem præconia nervo
Strauſſi, *cui venâ carmina nulla fluunt?*
Aonidum potius claro de monte Poëtis
Incumbit, quibus & cedit Apollo lyrâ:
At vero pietas tibi dum ſub luce probetur,
Quamque ſiet cordi relligionis amor,
Ex animo pia vota precor, quo vadere recto
Nunc pede cæpiſti, ſemper Amande queas.

Johannes Jacobus Kieffer.

❧:o:☙